

## **Terms and Conditions**

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

ipsam praelegit. Exinde brevi cum quodam fere similis sortis ex societate eiectus est. Hoc ergo anno *Viennae* rursus comparuit et, nisi illi obvium esset, nihil boni ibidem attentasset, cum plerique provinciales illum foverint. Homo tamen post hanc disputationem rursus evanuit.

### 1591.

Caritas annonae, quae ex sterilitate praecedentis anni originem suam incoeperat, hoc anno usque ad mensem Julium, quo novae fruges demessae et collectae sunt, perduravit. Modius itaque siliginis usque ad praedicta tempora 18, 19, 20 solidis *Waidhofi* divenditus est, qui tamen statim post messem ad 6 fl. pervenit. Haec autem annonae caritas non ab hominibus ex aliqua avaritia excogitata et introducta fuit, quemadmodum consequentibus aliquot annis contigit, dum quisque sua, prout et voluit et potuit, maximi aestimavit et vendidit non considerata vel copia vel ubertate frumenti.

Anno enim supradicto oportuit frumentum vel ex *Moravia* vel etiam ex *Ungaria* vel aliis locis, ubi harum rerum copia erat, ad superiores partes *Austriae* advehi. Hac ergo tam subita immutatione et pretio non adeo gravi plerique rursus refocillati sunt atque inde Domino Deo pro sua largitate gratias agentes vitam peregerunt. Nam plurimi, ut supra anno praecedenti dictum est, famelicum stomachum non pane subcinericio sed alba farina ex montibus sedaverunt.

Principium huius anni usque ad mensem Martium valde durum et frigidum extitit perduravitque.

Tertio Febr. ex mandato Caes. Maiestatis D. Dr. *Udabrieus Kren*, postea de *Krenburg* dictus ac tandem Caesaris *Malthiae* cancellarius factus, *Waidhofium* missus est, qui ex praescripta instructione una cum D. praefecto *Waidhofensi Christophoro Murhamero*, Electoris *Coloniensis* et episcopi *Frisingensis Ernesti Ducis Bavariae* consiliario, omnes catholicos, quotquot ibi fuere, secundum interrogata propter exortam rebellionem alternatim examinavit et cuiuscunque sermones et confessiones ex utraque parte conscripsit. Quae scripta confessio singulorum deinde *Caesari* ipsi et *Electori Coloniensi* pro meliori informatione propter seditiosos iam incarceratos oblata fuit. Unde de unoquoque antesignano excitata seditionis satis supplicii sumptum est; hac tamen cum moderatione, quod nullus omnino hac de causa licet promeritus vitam amiserit, licet duo, scil. N. *Flexxelmilner*, qui manus violentas in ipsum sacerdotem celebrantem in ipsa ara cum maxima verborum iniuria primus coniecerit et alius quidam *Ioannes Klopser* arcularius, qui noctu per vim in curiam cum securi penetraverat atque cistam quandam in ea disseverit et res quasdam ad se pertinentes, uti ipse aiebat, distraxerit, de sua vita desperaverint neque se unquam amplius *Waidhofium* visuros cogitaverant. Omnes enim tandem domum pervenerant absumptis tamen in carceribus ferme omnibus, quae domi reliquerant. Memoratus vero D. Dr. et commissarius *Caesareus* perfuncto hac in re suo officio demum 26. Febr. accepto honesto et digno honorario pro suis meritis, scil. 100 thaleris, *Viennam* repetiit et testimonia accepta in loco convenienti et debito deposuit.

Mißernte.

Getreide-  
einfuhr.

Frost.

Kath. Re-  
formation  
in  
*Waidhofen*.